

tate conjunctis ex hac vita migrantibus applicare possent, apostolica auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.“

„Declaramus, fratres, moniales ac personas superius memoratas exercitium Viae Crucis hujusmodi peragentes privilegiis et indulgentiis frui, quae Romani Pontifices locis sanctis, et illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent, atque ita ab omnibus asseri et censi debere volumus.“

„Insuper ne a participatione honorum spiritualium, quae ab exercitio viae crucis provenire speramus, ullus arceatur de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentias etiam animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles et privilegia superius expressa etiam per viam communicationis indulgentiarum, quae Locis sanctis intra et extra Hierusalem concessa fuerunt, aut alias quomodolibet, fratribus, monialibus, ac personis jam dictis, quae per Nos approbantur et confirmantur, ad quodcumque christifideles utriusque sexus ministro generali nullo modo subjectos, qui exercitium viae crucis et alia christianae pietatis opera ejusdem modo et forma, quae a fratribus et personis praedictis peraguntur, pie ac devote penes fratres dicti ordinis privative quoad alios quoscumque peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

Const. Bened. XIII: *Inter plurima* die 5. Mart. 1726.

(Anal. J. P. 1858, p. 758.)

f) Non in tabula sed in cruce sitae.

Cum ad lucrificandas indulgentias,

quae pro stationum viae crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio sed crucium proindeque si ob vestutatis causam ipsae tabulae removentur pro ipsarum stationum contemplatione, ac in earum locum etiam absque pontificia facultate novae tabulae substituuntur, indulgentiarum concessio perseverat, imo etsi cruces ipsae, quae necessario requiruntur, ob eandem rationem, vestutate scilicet labentes, renovari debeant, dummodo de ipsis non sit major pars, nec nova erectione indiget nec indulgentiarum beneficium amittitur.

Die 13. Nov. 1837.

(Anal. J. P. 1858, p. 773.)

Vd.: *Via cruc.* (benedictionis amiss.; renov.)

4) Mutatio.

Vd.: *Via crucis.* (benedictionis amissio.)

5) Renovatio.

Vd.: *Via crucis.* (Indulg. non in tabula etc.; benedictionis amissio.)

Quoad restaurationem alicujus viae crucis notandum est, *benedictionem cadere in cruces superpositas*, quae ex ligno tantum esse debent, *minime vero in tabulas vel imagines*, quae reparari quibusque aliae substitui possunt absque nova benedictione, *dummodo remaneant cruces benedictae saltem quoad majorem partem*. Quando vero nova erectio et benedictio facienda est, tunc tabulae et cruces antea benedictae sine omni caeremonia privatim et alio tempore a quocumque collocari possunt.

S. C. J. 24. Aug. 1842; 20. Aug. 1844; 14. Jun. 1845.

6) Stationum distantia.

Sacra Congregatio Indulg. ss. Reliquiis praeposita declaravit: *Inter stationes viae Crucis non requiri distan-*

tiam aequalem viae crucis Hierosolymitanae nec determinatam. Et facta de praedictis SSmo Dno Nostro relatione S. Sua benigne approbavit. L. Ep. Alban. Card. Picus Praef. Jo. Archiep. Tyri, secret.

Die 3. Dec. 1736.

(Anal. J. P. 1857, p. 1945 et anno 1858, p. 762.)

7) Translatio.

Vd.: *Via crucis.* (bened. amissio.)

VIA FERREA.

(Benedictio.)

Formula approb. a S. R. C.

℞. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit coelum et terram.

℞. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiternae Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam utilitatemque hominum condidisti, dignare quaesumus hanc viam ferream ejusque instrumenta bene † dicere et benigna semper tua providentia tueri et, dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes et viam mandatorum tuorum currentes ad coelestem patriam feliciter pervenire valeant. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen

Oremus.

Propitiare Domine Deus supplicationibus nostris et bene † dic currus istos dextera tua sancta; adjuge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes,

qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis: et quemadmodum viro Oethiopi super currum suum sedenti et sacra eloquia legenti per Apostolum tuum fidem et gratiam contulisti, ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adjuti bonisque operibus jugiter intenti post omnes viae et vitae hujus varietates aeterna gaudia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat viam et currus aqua benedicta.

(Anal. J. P. 1837, p. 2942.)

VIA PROCESSIONIS.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.* (via); *Lytan. maj.* (via); *Process. funebr.* (via.)

SS. VIATICUM.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened. SS. Sacram. in commun. infirm.*; *Incesatio SSmi* (in pyxide expos.); *De bened. ante port. eccles.* vd.: *SS. Sacram. euch.* (bened. ante portas.)

2) Denominatio.

Viatici nomine apud profanos scriptores intelligitur *cibus et pecunia, quae in viam seu iter peragendum praeparantur*. Unde apud Plautum teste eruditissimo Patre Gobat tom. 1. tract. 4 n. 180. dicitur viaticus is, qui sibi prospexit de rebus necessariis profectio. Viatici enim nomen venit a voce *via* et sumit annominationem a *cibariis*, quae a viatoribus ad iter agendum praeparantur. Hinc a sacris scriptoribus Divina Eucharistia identidem nuncupetur Viaticum. S. Thomas 3. p. g. 73. art. 4.: In corpore, ibi: „In quantum scilicet hoc Sacramentum est praefigurativum frui-

tionis Dei, quae erit in patria, secundum hoc dicitur Viaticum, quia hic praebet nobis viam illuc perveniendi, et sic expresse vocat ipsum Concilium Carthaginiense relat. in can: *Is qui* 8. caus. 26. q. 6. et Concilium Nicaenum relat. in can: *De his ead. causa* et quaestione, ubi statuit: „Ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitae non defraudetur Viatico.“

3) Dies distributionis.

Viaticum dari debet etiam in die Parasceves, sed nullatenus ipsa potest sanis praebere Eucharistia. Sacra Rituum Congregatio 19. Feb. 1622.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (distrib.); *Communio*; pag. 802. n. 15.

4) Exitus.

Vd.: p. 794 n. 8 et 9.

5) Licentia portandi.

Non potest Episcopus prohibere Curato, ne administret Viaticum infirmis sine sua licentia. S. C. Ep. 30. Oct. 1640.

6) Modus accipiendi.

Si quis Sacerdos aegrotus SS. Viaticum suscipere vellet manibus suis atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, dammari non meretur.

Bened. XIV. De Syn. dioec. l. 13. c. 13. c. 19. §. 25.

Tenetur aegrotus in mortis periculo constitutus tum jure ecclesiastico tum divino Sacrum Viaticum sumere quamvis non sit jejunus: *Communis*. Sumere Eucharistiam per modum Viatici est ipsam sumere eo tempore, quo pro mortis periculo obligat praeceptum: *Vasqu.* tom. 3. in 3. p. dup. 214. n. 17., *Hurtad.* de Euchar. disp. 10. diff. 2., *Gob.* t. I. tract. 4. n. 181, et alii.

Et licet aegrotus sit jejunus, recte adhibetur formula: *Accipe Viaticum* etc. cum non minus sumat Eucharistiam per modum Viatici aegrotus jejunus

ac non jejunus, ex quo Viaticum sit praeparatio pro via ad coelestem patriam brevi aggredienda tam a jejunio quam a non jejunio; Viatici enim nomen venit a voce *Via* et sumit annominationem a *cibariis*, quae a viatoribus ad iter agendum praeparantur.

Morituro impotenti Eucharistiam sub specie panis deglutire non potest Sacramentum administrari sub specie vini neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino relinquendus est non refectus sacra Communionem, cum praeceptum Viatici non obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab Ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab Ecclesia latina omnino prohibetur. *Vicissim licite administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti*, ut facilius deglutiat: *Bened. XIV. de Sacrif. Miss.* lib. 3, cap. 19. §. 6.

7) Modus portandi.

Honorius PP. III. Archiep. et Episcopis Hiberniae.

Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur Hostia salutaris, quilibet reverenter se inclinet, idem faciens cum ipsam portat presbyter ad infirmum: quam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat et referat manifeste et honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur.

Die 19. Nov. 1219.

(Bull. r. t. III. 366. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Vd.: *SS. Viatic.* (Quibus portand?; in fer. VI. Parasc.) *Candelae in portando* etc.; *Pileolum in portando* etc.; *Laterna; Incensat. SSmi* (in pyxide expos.); *Visitat. SS. Sacram.*; t. III. p. II. p. 256. nota.

Paulus PP. III. ad Confratern. SS. Corp. Chr. Romae.

Rector cujuslibet ecclesiae seu illius locumtenens, quotiescumque esset necessarium SSmum alicui infirmo ministrare et ad illius domum deferri, *campanam suae ecclesiae certis ictibus pulsari* facere tenetur ad hoc, ut confratres vicini parochiae illius ecclesiae se moneri et convocari ad associandum SSmum ipsum cognoscerent et per se ipsos associarent, si legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum ex suis dignioribus familiaribus SSmum ad domum infirmi facibus accensis associari et comitari facere tenentur.

Die 30. Nov. 1539.

(Bull. r. t. VI. p. 1539. Ed. Aug. Taur. 1860.)

„Regulares deferentes Sacram. Eucharistiae in crumena contra canones facere.“

(Anal. J. P. 1864. p. 816.)

„Damnatur pariter S. C. C. detestabilem usum, quo regulares deferunt SSmam Eucharistiam in crumena, cum hoc sit contra reverentiam debitam Sacramento et contra canones et ideo quoad gestationem ejusdem Sacramenti esse servandum Ritulae romanum.“

Die 2. Oct. 1677.

(Ibid. p. 817.)

Instructio episcopis mittenda, ut a confessariis observetur.

„Redarguat et improbet opinionem afferentium communionem quotidianam esse de jure divino. Doceat in Ecclesia aut oratorii privatis cum privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam esse Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta acce-

dere non valeant, et hisce publice et cum pompa juxta formam Ritualis romani.“

S. C. C. 24. Sept. 1678.

(Ibid. p. 823.)

Ex decret. Conc. prov. Vienn. die 9. Nov. 1858.

Cum Deum habitare nobiscum populi christiani nobilissimum decus et gloriae, quae in nobis revelabitur, praelibatio quaedam existat, Deum habitantem nobiscum, ubicumque compareat, summo adorationis obsequio confiteamur et celebremus. Itaque publice prodeunti, ut aegrotos visitet atque soletur, nullum desit venerationis signum. In civitatibus SS. Sacramentum non aliter quam sub baldachino per vias publicas deferatur. Excitatur praeterea parochorum pietas, ut in majoribus oppidis, ubi locorum conditio difficultates non parit et baldachinum portaturi non deerunt, animum rei advertant et quamprimum fieri poterit, venerationis illius officium Deo Redemptori exhibeant.

(Tit. III. cap. IV.)

Ex decret. Conc. prov. Prag. die 23. Sept. 1860.

Sacra Eucharistia ad aegrotos, sive illa refici velint ex devotione sive muniri ut Viatico, publice et honorifice deferatur a sacerdote superpelliceo et stola induto, campanula adventum Domini sonitu suo annuntiante.

Morem hic ibique vigentem deferendi SS. Sacramentum sub baldachino cum majori solemnitate et fidelium comitatu, grati laudamus volumusque ut pia haec consuetudo, ubi adhuc desideratur, pro viribus inducatur. Deferantur autem, quantum locorum et temporis rationes admittunt, plures

particulae consecratae in parvo ciborio proprio operculo cooperto, tum ut aegroto Eucharistia jam refecto cum SS. Sacramento benedici possit atque illud comitantes Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum participes fiant, tum ut ipse sacerdos facilius evitet difficultates, si fors neganda esset infirmo sacra Communio. Occulte autem SS. Sacramentum ad infirmos nunquam deferatur, nisi Ordinarius facultate a Sede Apostolica concessa ex gravissima causa dispensaverit.

Eucharistia ad infirmos, ubi vis Turcarum praevalet et iniquitas, est deferenda a Sacerdote Stulam semper habente propriis coopertam vestibus in sacculo seu bursa pyxide recondita, per funiculos collo appensa ac in sinu reposita, ab uno saltem Fidei in defectu Clerici associato. In aliis vero locis, ubi non tanta adsunt infidelium seu haereticorum pericula, praecipitur, quod Sacerdos indutus superpelliceo stolaque utique humero circumsepta et praecedente uno saltem lumine hymnos et psalmos submissa voce recitans, in sacra pyxide vel in Calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens devote deferat. Bened. XIV. Const. 59. incip.: *Demandatam* §. 23.

Viaticum ad locorum distantiam, difficultatem itinerum et viarum asperitatem deferri potest a parochio equitando juxta tamen arbitrium et prudentiam Episcopi.

Die 23. Jan. 1740.

Ad dub.: 1. Quum juxta S. R. C. 16. Junii 1663 in Granaten. ad dub. VII. 28. Sept. 1675 in Salernitana et 3. Martii 1671 in Aequen. omittendus sit versiculus: *Dominus vobiscum*, ante orationem: *Deus qui nobis etc.* in reponendo SSmo Sacramento post ejusdem expositionem, quaeritur: an

omitti quoque debeat ante orationem post reditum processionis a communione infirmorum?

2. Juxta decreta S. R. C. 14. Jun. 1687 in Sarzanen et 10. Sept. 1718 in Catanien. in repositione SSmi Sacramenti oratio: *Deus qui nobis etc.* determinanda est cum conclusione brevi, quaeritur: an pariter sub conclusione brevi terminanda sit hujusmodi oratio post reditum a communione infirmorum et post administrationem in Ecclesia sanctissimae Eucharistiae?

S. C. resp. ad 1: Servandum omnino Ritualis praescriptum.

Ad 2: Ut ad proximum.

Die 7. Sept. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 222.)

Ad dub.: Utrum propter viarum asperitatem ac ventorum, nivium glacierumque incommoda permitti possint a Rmo N.... Episcopo, ut parochi sacrum viaticum deferant capite cooperto pileo? Et quatenus nisi speciali gratia illud liceret, supplicatur pro parte supradicti Episcopi ad illam gratiam obtinendam prout in una Bisinianen. 23. Maji 1846.

Resp.: Rituale romanum de communione infirmorum ea describens, quae paranda sunt et quae sacerdos praestare debet, „ipse vero sacerdos, ait, imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti utraque manu accipit vas cum Sacramento et deinde umbellam seu baldachinum subest nudo processurus capite.

Hinc praeveniens casum longioris aut difficilioris itineris obeundi et etiam necessitatem equitandi inter ea quae talibus in circumstantiis facienda praescribit nullum verbum facit de capite

operiendo. Atque haec ideo exponenda esse putavi, ut intelligatur non posse ab Episcopo permitti ut parochi in delatione viatici, prout in casu, caput pileo cooperiant. Pompejus Sarnellus episcopus Vigilensis Ep. 26. tom. 1. in re, de qua agimus, affert inter cetera testimonia auctoritatem Nicolii, qui Lucubr. can. lib. 3. tit. 41. de celebr. miss. cap. *Nullus de consecrat.* dist. 1. haec habet: „Episcopus dispensare non potest, ut sacerdos accedat ad altare cum baculo vel pileolo in celebratione missae vel dum viaticum deferat ad infirmos utatur. Et notandum est, quod hic non agitur de pileolo. Id probe nosse significat episcopus N.... qui easdem fere circumstantias exponens, quae in Bisinianen adductae reperiuntur, rogat, ut quemadmodum illi episcopo ex speciali gratia ita sibi concedatur posse permittere. Dixi easdem fere circumstantias ac in Bisinianen., quia ibi res erat tantum pro parochio et oeconomio Acrir. et hic generica pro parochis, tum quia agebatur ut plurimum de agris dissitis ac per plura milliaria distentis, quod in nostro dubio non exprimitur. At hoc parum refert nec quidquam obstare puto, quominus vos dignemini annuere pro petita speciali gratia, ex qua Episcopo N.... concedatur posse pro suo arbitrio et prudentia permittere ut parochi in expositis circumstantiis viaticum deferant capite cooperto pileo ad instar concessionis, quae facta fuit in Bisinianen juxta formam illius, quae concessa jam fuerat in Laudan. 23. Jan. 1740. nimirum, S. C. commisit Episcopo N... ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat, quod parochi circumstantiis expressis in dubio capite pileo cooperto viaticum deferre valeant comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contr. non obst. quibus.

S. C. commisit episcopo N. ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat, quod parochi in circumstantiis expressis in dubio capite pileo cooperto Viaticum deferre valeant comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 2858. p. 347.)

Benedictus PP. XIV.

Episcopis Regni Serviae.

Dum sacerdos tantum Sacramentum ad infirmos deferat, decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus praecipitur, ut indutus superpelliceo stolaque utrique humero circumsepta et praecedente uno saltem lumine hymnos et psalmos submissa voce recitans in sacra pyxide vel in calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens devote deferat. At ubi (sicut ibidem additur) Turcarum vis praevalet et iniquitas, Sacerdos stulam semper habent propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pyxidem recondat quam per funiculos appensam in sinu reponat et nunquam solus procedat, sed uno saltem Fidei in defectu Clerici associetur.

Die 2. Feb. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 306 §. 23.)

Non sine tintinnabuli pulsatione a scholastico seu campanario facienda deferendum esse viaticum statuunt plura concilia. Apud *Albericum* in chronico ad ann. 1200 exstat ea de re peculiare statutum Guidonis Cardinalis et apostolicae Sedis in Germania Legati. Sed de varia in deferendo ad aegrotos viatico disciplina consule

praeter *Baronium* in Martyrol. ad d. XVIII. Kal. Sept., *Bonam*: Rerum Hurgic. lib. 2. cap. 17. §. 5.; *Martanium* aliosque, Eminentissimum *Garampium* in vita b. Clarae Ariminensis p. 187 et 509 et t. III. bibl. ritual. Zacarian., *Maldonatum* disp. 3. p. 164 seq.

8) Obligatio parochi ad deferendum.

Benedictus PP. XIV.

Vd.: *Paroch.* (administ. SS.)

VV. Fr. Episcopis Regni (Turcarum) Serviae.

Dolenter nimis accepimus, vel adeo desertas et ruinosas esse istarum regionum Ecclesias vel adeo inolescere infidelium furorem, ut sanctissima Eucharistia neque decenter neque tuto, ut par est, asservari possit; unde eveniat, ut plerique fideles infirmi absque salutari viatico naturae debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri et provideri debet. Quamobrem infirmorum notitia per parochos anxia diligentia est inquirenda, non tantum pro tisdem poenitentiae sacramento expurgandis christianisque monitis ac spiritualibus consolationibus juvandis ac sublevandis, verum etiam, ut sanctissimo Christi Corpore reficiantur, atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque ubi alicui ex fidelibus mortis periculum instare perspiciant, praedictum Sacramentum Eucharistiae quamprimum ipsi ministrent et, si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad infirmi domum deferre debent, cum extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacratis missam celebrare non liceat.

Die 2. Febr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 306. §. 22.)

Dubitari nequit Parocho dumtaxat domicilii nec ulli alii extra necessitatis eventum fas esse sacro oleo aegrotantes sive laicos sive clericos inungere illisque SSmi Corporis Christi viaticum ministrare. *Bened. XIV.* de Synod. dioec. lib. 8. cap. 5. n. 7.; *Reiffenstuel* jus can. lib. 3. tit. 28. n. 27. Hanc legem ab Ecclesiis quoque Collegiatis et Cathedralibus servandam dixit s. Congregatio in Mantuana jurisdictionis 16. Martii 1689, in Tiburtina juris administrandi sacramenta 12. Maii 1685 et alibi passim, ut videre licet in Viterbien. juris tumulandi 10. Maii 1766 §.: Dubitatum. Et licet contrarium ex peculiaribus fortasse circumstantiis dixerit in Dertthonen. jurium parochialium, attamen praecedentem sententiam instauravit in Eugubina jur. parochialium 2. Aprilis 1729, etiamsi Canonici Cathedralis Ecclesiae consuetudine ac sanctione dioecesanae Synodi inniterentur uti monet folium in Avenion. jurium parochialium 1. Martii 1766 §.: de Canonici, iterumque decrevit in Andrien. 24. Januarii 1767. Proposito siquidem dub. V.: An Canonici sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu Ecclesiae s. Nicolai in casu infirmitatis sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis seu potius a Vicario Ecclesiae s. Nicolai in casu etc.? respondit ad V.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; et die 19. insequentis Septembris stetit in decisis et amplius.

(S. C. C. die 16. Junii 1827.)

9) Oratio etc.

Vd.: *Professio fidei.*

Ad dub.: Utrum a Parocho viaticum ad infirmos deferente antiphona: *Asperges etc.*, ant: *Vidi aquam etc.* tempore paschali, sit recitanda et ab

ipso quoque ad Ecclesiam reddito oratio dicenda: *Deus qui nobis etc.* vel: *Spiritum nobis etc.*?

S. C. resp.: Servandum esse omnino Rituale, nulla habita ratione temporis paschalis. n. 3614 ad 7 die 11. Februarii 1702.

Ad dub. 1. An, data distantia Ecclesiae parochialis ab infirmo SSmo Viatico reficiendo et proximitate Ecclesiae parochiae Parocho vel illius Coadjutori urbane petenti sacramentum Eucharistiae extrahere ab Ecclesia regulari ut opportune consulat saluti spirituali infirmorum, liceat Regularibus ipsis, cujuscumque sint ordinis, instituti vel societatis, illam denegare sub motivo exemptionis et privilegiorum? Et quatenus negative,

2. An in dicto casu regulares ipsi teneantur praestare patientiam, ut exerceantur a Parocho in reditu ad Ecclesiam functiones praescriptae a Rituali romano; et a praefatis edictis respective pro majore veneratione SSmae Eucharistiae, quas peragere solet Parochus in propria Ecclesia, scilicet canere hymnum: *Tantum ergo Sacramentum etc.*, thurificare, breviter hortari populum ad associandum Venerabile, indulgentias publicare associantibus concessas et denique populo benedicere?

3. An in dicto casu liceat Regularibus aliqua ex supradictis functionibus peragere, an vero ad Parochum omnes spectent?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum

Ad 1. „Non licere nec Regularibus nec Presbyteris saecularibus etiam exemplis in casibus necessitatis tantum denegare.“

Ad 2. „Negative.“

Ad 3. „Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.“

Et ita declaravit. N. 3732 die 22. Augusti 1705.

10) Paramenta.

Tempore etiam sacrificii missae administrari potest ss. viaticum in paramenti nigris. n. 4651 ad 2 die 19. Decembris 1829.

Vd.: *Missae interrupta per ministrum ss. viatici*; *Stola* (administ. SSrum decr. n. 4623); *Missae* (celebrans sedere non debet, epist. Bened. XIV. n. XVIII.); *ss. viaticum* (modus port.)

11) Portandum ad Episcopum.

Vd.: *Episcopus aegrot.*; *Professio fidei Episcopi.*

Ad dub.: An Capitulo Cath. ejusque primae Dignitati competat jus administrandi Episcopo aegrotanti sacramenta ss. Eucharistiae et extremae unctionis seu potius an et in quibus casibus idem jus competat Parocho Tridentini in casu?

S. C. C. resp.: Servetur Caeremoniale.

Die 7. Junii 1760.

Tum majori, qua poterit, devotione et humilitate Episcopus sacrum sumat viaticum, quod illi deferat prima Dignitas comitante Capitulo et toto Clero cath. in habitu eccles. et cum candelis accensis, et, si fieri potest, Magistratus deferat baldachinum moneatque Episcopus sacristam seu Curatum, ut, cum tempus erit, extr. unctionis sacramentum sibi administret et animae commendationem faciat.

Caer. Ep. l. II. c. XXXVIII. n. 4.

12) Portandum ad Canonicos.

Vd.: SS. Viaticum (portand. Sacerdot.; decr. 16. Mart. 1680 et 17. Mart. 1663.

Mediolanen.

Dubium:

Aegrotantibus Canonicis ss. viaticum, extrema unctio et caetera, quae rite praescribuntur, suntne praestanda ab Episcopo auxiliari canonico vel ab Archipresbytero, qui est etiam parochus?

Archipresbyteratus dignitati cura etiam animarum ipsius metropolitanae utpote Ecclesiae parochialis adnexa est. Patet id ex ipsa provisione archipresbyteratus facta per apostolicas literas VII. Cal. Aprilis 1858 favore actualis archipresbyteri Caesaris Mariae ex comitibus Pertusati, quarum authenticum exemplar ob oculos habuimus. „Cum itaque archipresbyteratus metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis, qui inibi dignitas post pontificalem major existit et quem pro tempore obtinenti, uti accepimus, dilectorum filiorum parochianorum dictae metropolitanae parochialis etiam existentis Ecclesiae cura imminet animarum, adeo, ut in commendatione ordinarii de vita et moribus, cujus in iisdem literis fit mentio, laudis ac meriti loco jure tribuatur, illum in vigesimo septimo aetatis anno constitutum in cura animarum exercitio et in aliis ecclesiasticis ministeriis versatum existere. Patet ex ipso voto metropolitani Capituli nomine exarato, ex quo officia, „quae canonicis majoris Capituli vel aegrotantibus vel vita functis praestanda sunt quaeque paroecialia dicuntur, nec operis pretium est eadem archipresbytero contendere utpote prima dignitate donato, non uti parochus.“ Patet denique ex auctoritate curiae ecclesiasticae mediolanensis in voto vicarii generalis, qui „audentius censeret, omnia haec ad archipresbyterum

pertinere, quod et cum voto a majori capituli parte approbato conveniat.“

Haec satis ostendunt archipresbyterum cura animarum affectum esse, et si ponamus curam animarum independentem omnino esse a capitulo et ipsum absolutum parochum esse, nulla exurgere posset dubitatio, quin aegrotantibus subsidia ecclesiae ministrare et funera ducere et peragere exequias non solum quoad cadavera parochianorum sed etiam canonicorum ad ipsum spectaret non tamen ratione primae dignitatis, qua eminent, sed ratione benefici curati, quod absolute et latissime possideret, sicut ad ipsum de jure spectant caetera munera parochialia.

Sed hinc exurgit ratio dubitandi, an scilicet absoluta sit et latissima ipsius parochialitas et ab omni sive consuetudinis sive jurisdictionis capituli impedimento libera sit et immunis. Atque hinc ut ad solutionem dubiorum proprius accedamus, sunt quaedam in hanc rem notanda ex documentis, quae nobis exhibita sunt et quae in sumario reperuntur; quae quidem fatemur neque satis clara esse neque plena ut quaestionis status cum suis omnibus circumstantiis compertus fiat, sed talia, quae ad quaestionem definitendam sufficere videantur. Duo sunt, quae in examen assumimus. Alterum caeremoniarum magister, qui in suis deductionibus, dum partes canonici episcopi titularis sustinere contendit, textum affert caeremonialis Ambrosiani pag. 270, ubi, licet nonnulla praescribantur circa praesentiam eorum qui canonicis aegrotantibus ss. viaticum ministrare debent eosque s. oleo inungere, liberum tamen relinquitur canonico infirmo, si velit, unum vel alterum ex collegis ad haec pietatis officia sibi praestanda pro sua voluntate et consolatione posse deligere: „Sacramenta omnia — en verba ex

caeremoniali Ambrosiano desumpta — eidem (canonico) aegrotanti ministrabit praepositus seu alius ex capitulo praefectus et delectus, sanctissimum vero Eucharistiae Sacramentum ad aegrotum a majore supra delatum sectabuntur alii omnes canonici et clerici Ecclesiae luminibus aliisque requisitis adhibitis... Nihilominus si infirmus velit ab alio sibi benevisio sacramenta hujusmodi administrari, hoc illius relinquitur voluntati et consolationi.“

Ad germanam hujus textus interpretationem clariora verba vel documenta desideremus. Verum nos non inquirimus, ad quae tempora referenda sit praescriptio illa neque si aliquam mutationem passa sit neque id sit praepositus aut alius ex capitulo praefectus seu delectus aut ille, qui *majoris* nomine insignitur. Duo tantum animadvertimus, unde satis emergit nihil ex allato textu erui posse favore canonici episcopi auxiliaris; *primo* ex praescriptione citata constare officium ministrandi sacramenta canonicis aegrotantibus pertinere vel ad illam taxative *dignitatem* vel ad *alium* a capitulo electum, nulla facta mentione alicujus canonici praeferendi, qui episcopali dignitate aut alia qualitate praeditus sit. Episcopalem ipsam dignitatem aut qualitatem auxiliaris, utpote a capitulo extraneam et accidentalem, nihil conducere ad actus jurisdictionales determinandos aut praelationem supra alios inducendam in primi dubii solutione satis ostendimus. Ergo nihil est ex hac parte, quod faveat in casu proposito praelationi canonici episcopi auxiliaris. At neque quod sequitur praelationem hujusmodi determinare *secundo* loco notamus. Licet enim *consolationi* et *voluntati* aegrotantis relinquitur vocare aliquem *sibi benevisum sacerdotem*, hoc non constituit novam legem, sed est accidentalis

exceptio et licet reapse ipse episcopus auxiliaris ab aegrotato seligatur, id certe non a dignitate episcopali aut a qualitate auxiliaris determinatur sed accidentaliter provenit a voluntate canonici infirmi, cui is bene visus sit. Ergo ex allato textu sive concursu illius taxative *dignitatis* sive *electio* capituli sive etiam *voluntas infirmi* determinat canonicum, qui debeat sacramenta illa ministrare: atqui character episcopalis aut qualitas auxiliaris nullam habet intrinsecam relationem neque ad illam dignitatem neque ad *liberam electionem* capituli neque ad *voluntatem* infirmi. Haec nobis sufficiunt, ut concludamus ex allato textu nihil erui posse favore Episcopi auxiliaris. Rem tamen ex integro determinat alterum quod in examen assumimus documentum, nempe ex auctoritate curiae ecclesiasticae Mediolanen. desumptum, ex quo habemus, quae sit origo, natura, mutationes parochialitatis tam quoad archipresbyterum tam quoad capitulum, et quae demum sit consuetudo, quae in hac re *viguit semper vigetque*. Initio enim capitulum metropolitanum parochialitate habituali late sumpta potiebatur, at ea parochialitas habitualis progressu temporis et quidem aetate retentiori a capitulo transiit absolute ad archipresbyterum, qui declaratus est parochus independentem ab ipso capitulo. Hoc autem intelligendum est respectu parochianorum, non autem respectu ipsius capituli, cui in casu infirmitatis et mortis alicujus ex ipso capitulo, primo quidem archipresbyter, sed eo absente ille qui in capitulo insigniori presbyterali dignitate fulget, spiritualem opem et pia officia praestat. Ex quo quidem patet habitualement curam animarum, quae prius latissime inhaerebat capitulo, licet abolita fuerit respectu parochianorum, non tamen fuisse peni-